Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Dialogorum sacrorum Libri Quatuor

Châteillon, Sébastien

Basileae, 1565

Lunaticus

urn:nbn:de:bsz:31-102436

Visual Library

ſim pœnitebit, cum & meo & paterno ſplendorè conſpicuus ueniam, unà cum ſanctis & diuinis Genijs. Nam uenturus ſum, & pro ſuis quenq; factis remuneraturus. Quinetiam hoc uobis confirmo, quoſdam eſſe ex hoc conuentu, qui non ſint obituri mortem, quin me regni diuini præpotentem ueniſſe uiderint.

SENTENTIA.

Chriſti cognitio ab homine non proficiſcitur. Sequendus Chriſtus eſt, isq; omnibus præferendus.

LVNATICVS. *Matth.17. Marc.9. Luc.9.*

ARGVMENTVM.

Ieſus lunaticum, quem eius diſcipuli ſanare non potuerant, ſanat, ab eius patre exoratus.

Pater lunatici, Ieſus, Dæmon, Quidam alius.

MAgiſter oro te, ut me, meumq; unicum filium, quem tibi hîc adduco, reſpicias. Agitatur neſcio quo furiali ſpiritu muto: credo eum Dianæ incitatione ita miſerè infeſtari. Nam cum ſubitò eum mala illa peſtis corripuit, tum uerò admotis dolorum [a] facibus repentè diuexatur, & cruciatibus ſodicantibus horribiles gemitus & dentium ſtridores

[a] uciatib.

edens,

edens, ſpumas agit in ore: & uix tandem ſæuis cruciamentis perfractus, à tam immanium furiarũ uinculis laxatur. Eum deduxi ad tuos diſcipulos, & oraui ut eum tanto malo liberarent. Sed non potuerunt. I. O diffidẽs hominum genus, & prauum: quouſque uerſabor inter uos? quem ad finem uos perferã? Huc mihi adducatur. P. Ecce eum tibi. Hei mihi, uide ſis ut repentè, te uiſo, concidit: uide, ut ſpumans uolutatur. I. Quampridem hoc ei euenire cœpit? P. Iam à pueris: ac ſæpe in ignem, ſæpe in aquam præceps ruit, ut dicas eum in mortem ferri. Sed tu ſi quid potes, opitulare nobis, noſtri miſertus. I. Si potes, credere, nihil eſt quod credenti fieri non poßit. P. [b] Credo ego quidem, Domine: ſed tu adiuua fidem meam. I. Spiritus mute & ſurde, ego tibi impero ut iſtinc emigres, remigraturus nunquam. D. Bruuu. QVIDAM. Vt conuulſus eſt? ut mortuo ſimilis? ALIVS. Imò ego puto planè mortuum, ita nihil omnino mouetur. I. Cedo mihi iſtam manum, ſurge eſto incolumis. Trado tibi filium tuum omni morbo uacuum.

b Credeb[...] ille quidem[...] ſed non ſa[...] conſtanter[...]

SENTENTIA.

Hominis imbecillitas, diffidentiæ argumẽtum eſt. Fides eſt omnipotens. Chriſtus etiã infirmæ fidei opitulatur.

LAPIDANTES. Ioan. 8.